ANSELMI LAUDUNENSIS

ET RADULFI FRATRIS EJUS

SENTENTIAS EXCERPTAS

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDIDIT

G. LEFÈVRE

in gymnasio Laudunensi philosophiæ professor.

MEDIOLANI AULERCORUM

EX TYPIS C. HERISSEY

—

1895

ANSELMI LAUDUNENSIS

ET RADULFI FRATRIS EJUS

SENTENTIÆ EXCERPTÆ

ANSELMI LAUDUNENSIS

ET RADULFI FRATRIS EJUS

SENTENTIAS EXCERPTAS

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDIDIT

G. LEFÈVRE

in gymnasio Laudunensi philosophiæ professor.

MEDIOLANI AULERCORUM

EX TYPIS C. HERISSEY

1895

PROŒMIUM

In codice quodam bibliothecæ Tricassinæ manu exarato, nonnullorum auctorum eclogarii de quæstionibus ad theologiam pertinentibus loci leguntur. Cui libro hic adscribitur titulus :

« Incipit liber pancrisis, id est totus aureus, quia hic aureæ continentur sententiæ aut quæstiones sanctorum Patrum Augustini, Iheronimi, Ambrosii, Gregorii, Ysidori, Bedæ et modernorum magistrorum Willelmi Catalaunensis episcopi, Ivonis Carnotensis episcopi, *Anselmi et fratris ejus Radulfi* [1]. »

His verbis Anselmus Laudunensis scholasticus et frater ejus Radulfus, qui etiam episcopali scholæ præfuit, significari nobis procul dubio

(1) Cod. 425. A folio 1 usque ad folium 94 produntur Petri Comestoris sermones. Folio 95 recto incipit, folio 148 recto explicit Liber pancrisis, quem duodecimo vel tertio decimo sæculo scriptum esse putamus.

videntur. Constat enim eosdem Anselmum et Radulfum de variis theologiæ quæstionibus librum seu *Flores sententiarum ac quæstionum* scripsisse.

Porro si in manuscripto Tricassino[1] legimus homiliam illam quam, inter opera sancti Anselmi, D. Gerberon edidit[2], in eodem rursus invenimus litteras ab Anselmo Laudunensi ad Heribrandum abbatem sancti Laurentii Leodiensis missas[3], locos ex *Enarrationibus* ejusdem Anselmi *in Matthæum* excerptos[4], sententiam denique Magistri Laudunensis in *Dialogo duorum monachorum* laudatam[5]. Tibi quæstiones sub nomine Anselmi in hoc manuscripto prolatas legenti et dicendi genus inspicienti minime succurret Cantuariensis episcopi memoria; sed ex crebris iterationibus et ex aliis haud ambiguis signis aucto-

(1) Fol. 123 verso, et 124.

(2) *Sancti Anselmi opera*, Lutetiæ Parisiorum, 1721, pp. 189, 190.

(3) Fol. 130, recto 2, et verso, 1 et 2. « Venerabili abbati de Sancto Laurentio H., Anselmus filius Ludunensis (*sic*) Ecclesiæ salutem. » Cf. Lefèvre : *De Anselmo Laudunensi*, p. 102 et p. 122.

(4) Fol. 133, verso 1 et 2. Cf. Migne : *Patr. lat.*, t. 162, p. 1307, B et C.

(5) Vide infra quæst. 18. — Cf. Lefèvre. *De Anselmo Laudunensi*, p. 91.

rem ut verum et exercitatum magistrum aperte cognosces.

Inter unum et septuaginta locos, amplitudine dispares qui in hoc manuscripto, Anselmo tribuuntur, eos elegimus et in lucem edidimus qui aut Magistri ingenium ac habitum illustrarent, aut disciplinas in scholis tunc vigentes denotarent, aut de quibusdam hujus temporis moribus aliquid documenti demum suppeditarent.

Quamvis tres quæstiones tantum Radulfo auctore in nostro codice legantur, ex duobus locis quos prodidimus facile tamen perspicies quam simili ratione docendi et scribendi uterque frater usus sit.

Sententias Catalaunensis episcopi quæ in hoc manuscripto continentur si legeris, ceteris sublatis indiciis, Guillelmum Campellensem Anselmi discipulum fuisse te non latebit.

ANSELMI LAUDUNENSIS

ET RADULFI FRATRIS EJUS

SENTENTIÆ EXCERPTÆ

I

ANSELMI SENTENTIÆ VEL QUÆSTIONES

1. — *Cur animæ non baptizatorum puniantur* [1].

Quæstio sæpe ventilata est qua justitia animæ puerorum, qui ante baptismum moriuntur, damnentur. Corpus quidem cujus seminarium fuit in Adam, si contrahat maculam originalis peccati, non ita vehementer admirandum. Anima vero, quæ ab optimo Deo facta est, de corrupta non descendens massa, nec ex dispositione sua corpus illud cui unitur animare præsumens, sed ex voluntate sui Creatoris, ubi ab ipso posita est ibi obedientiam suam servans, mirum videtur quare damnari debeat nisi propter illa peccata quæ postea, sensualitati consentiens, jam adulto corpore, facit.

(1) Fol. 119, recto 1 et 2, verso 1. Hic titulus legitur in manuscripto.

Fides tamen Ecclesiæ habet quod si, quam statim unita est corpori, moriatur puer, damnabitur anima propter peccatum originale.

In quo videtur esse Creatoris culpa qui tale dedit ei hospitium in quo necesse esset eam corrumpi. Unde quidam ad hæc impellunt ut dicant animam quoque, ut corpus, ex traduce descendere. Et sic a culpa immunis est Creator quia anima quoque a corrupta anima patris, ut corpus a corpore, descendit. Inde et adducunt auctorem Gregorium Nyssenum, sapientem virum qui dicit quod, quam cito conjunguntur semina patris et matris, statim ibi est anima, sed non exercet suas potentias, sicut nec quando natus est puer statim discernit, nec ea dijudicat quæ post, in adulta ætate facit. Unde enim, ut ait ille, semen illud usque in virum formaretur nisi animæ seminarium haberetur?

Sed si ille dixit statim animam adesse seminibus, non ideo dixit eam ex parentibus descendere. Potuit enim et tunc Deus novam animam infundere, quamvis nec in hoc Doctores Ecclesiæ consentiant, sed aut sexagesimo sexto die post conceptum, aut sexto mense, novam asserunt a Deo infundi animam.

Quomodo ergo non sit culpandus auctor animæ videndum est. In principio creaturarum, fecit Deus

rationabilem creaturam, id est angelum qui de Deo notitiam haberet et eum contemplando beatus fieret. Fecit etiam corporalia quæ nulla ratione vigerent aut Dei contemplatione beata fierent. Videbatur ergo aliquid superfluere in magna Dei republica, ut illa bruta animalia nisi alicui prodessent ad beatitudinem. Spiritus enim in his non vescebatur nec in aliquo his indigebat. Factus est itaque ex rationali spiritu et corpore homo qui, ex natura corporali, his opus habebat, ex rationali autem spiritu Deum contemplaretur et sic se et corpus cui unitus fuit simul beatificaret. Quæ duo ita quodam modo sunt invicem inserta ut corpus per spiritum sensificaretur, id est illos quinque sensus haberet, et anima naturam corporis ita contraheret ut inde sensificaret, aut irasceretur, aut concupisceret, aut esuriret et cetera hujusmodi.

Hac ergo lege creatus est homo ut hominibus aliis per successionem creandis seminarium haberet quantum ad corpus, Deus autem infunderet novas animas.

Si ergo homo in obedientia Dei perseveraret, sicut ipse sanctus et mundus esset, ita seminarium prolis quod ab eo procederet. Sed qui ipse primus per inobedientiam corruptus est, pœnam suscepit ut in corruptione generaret. Quæ ergo particula ad vim generationis procedit ipsa quoque corrupta est.

Sed si hoc quod ad eum pertinebat de generatione male dispensavit, debuitne Deus incommutabilis idcirco consilium suum mutare ut novas animas non infunderet semini qualecumque ex parentibus procederet, penes quem non est ista inconstantia? Facit itaque Deus quod ab æterno proposuerat : novas animas immundis corporibus infudit non utens crudelitate, sed justam providentiam implens; nec habet anima quod queratur de suo creatore.

Idcirco enim eam fecit ut animando corpori eam infunderet. Quod si corruptum vas invenit, ipsa quoque inde corrumpitur. Ideo necesse est ut purgetur. Nec habet anima quem juste possit accusare de malo quod patitur nisi priores parentes quorum peccato mors intravit in mundum; quia, ut dictum est, Deus non debuit propter stultitiam hominis mutare consilium animandorum hominum.

Sed illud profecto affirmare possumus quod lenissime punientur si ante baptismum a corpore separentur. Quod si baptismum suscepit puer, mundatus est ab omni delicto. Et in hoc admiranda est maxime benignitas Dei quæ homini, et post prevaricationem, medicinam salutis invenit. In his vero qui ante baptismum pereunt quare hoc Deus disposuerit ut ad baptismum non pervenirent? Occulta sunt judicia Dei et abissus multa.

2. — *De animabus hominum*[1].

Si animas descendere ex traduce credere auderemus, cur animæ parvulorum non baptizatorum damnarentur, leviter inveniremus. Sed quia fides catholica habet novas quotidie creari animas et infundi corporibus, quæsitu dignum est unde, a Deo bona facta, originale peccatum contrahat, propter quod necesse sit eam damnari si a corpore recedat statim sine baptismi remedio.

Dicunt itaque quidam quod ex immunditia corporis cui infunditur anima illam culpam contrahit unde damnatur. Sed contra hæc verba duæ suboriuntur quæstiones : quomodo videlicet ex immunditia corporis contrahatur immunditia animæ quæ est incorporalis naturæ et quomodo non credatur Deus injustus qui illam animam tali infundat corpori in quo illam sciat non posse esse expertem damnabilis peccati.

Primam quæstionem igitur discutiamus; deinde ad secundam veniamus. Immunditia ergo illius corporis aut corporalis est, aut spiritualis. Si corporalis, nihil ad animam pertinere videtur. Quantumlibet enim corpus in luto coinquinetur, anima

(1) Folio 119 verso 1 et 2, fol. 120, recto 1 et 2. Hic titulus legitur in codice manuscripto.

tamen quæ est spiritualis nullo modo maculatur. Spiritualis vero immunditia ad corpus non pertinet. Nam quod spiritus non est spiritualiter contaminari non potest.

Dicamus igitur, ut possumus, ex corporali immunditia quomodo spiritualis animæ immunditia contrahatur. Nam illud verum est in quo ostendendo, quodam modo etiam physicam rerum sequi videbimur. A primo igitur homine ordientes dicimus Deum corpus Adæ ex quatuor elementis creasse in quo, quasi in vase quodam, ejus anima reponeretur. Fecit autem ipsum robustum, leve primum omnique honestate præditum, quod videlicet anima posset animare et leviter regere et omni modo pati. Positaque in tali vase, ante peccatum, felici et incorrupta compositione usa est.

Post peccatum vero non solum ipsa anima peccatrix misera facta est et minus potens se ipsam conservare, verum et ipsum vas suum ex priori statu valde mutatum est; elementa ipsius sunt infirmata, corrupta, dehonestata ita ut, non sine pœna peccati, ex ipsius corporis conjunctione, ipsa quæ in ea ferebatur anima deterior fieret, ita ut invicem et illa illud infirmaret et illud illam aggravaret.

Quæcumque igitur corpora ex tam corrupta carnis massa nascuntur et sine respectu animæ corrupta et immunda sunt. Si ergo in tali corpore

seminato animam mundam Deus infundat, jam ex tali corporis immunditia spiritualem contrahat immunditiam, nexibus utriusque ad unam efficiendam personam copulatis ita ut jam minus potens habeat in sua natura concupiscibilitatem quæ peccatum est, non quod effectum habeat, sed quod naturam concupiscendi in se suscipiat. Et hoc quidem vocatur originale peccatum, non quod in sua origine anima, quæ munda creata est, hoc habeat, sed quod ab origine et natura corporis hoc in se quasi traducat.

Hujus autem corruptionis similitudinem in rebus invenimus cum aliquid vas testeum prius novum, mundum, incorruptum videmus cui, cum novum est, si vinum infunditur et in eodem vase corrumpatur et acescat, licet illud vinum corruptum ex illo vase projiciatur, tamen vas remanet corruptum, immundum. Cui si iterum infunditur aliud vinum quamlibet bonum, ex corruptione ipsius vasis contrahit corruptionem, sicut scriptum est :

> Quo semel est imbuta recens servabit odorem
> Testa diu...[1].

Sic eadem similitudine novæ animæ ex corruptis a principio corporibus corrumpuntur. Contra hanc igitur concupiscibilitatem divina gratia novum instituit remedium baptismi, sive circumcisionis

(1) Horat., epist. 2, lib. I, v. 69-70.

ut olim. Quæ concupiscibilitas, licet sit in illo sacramento expiata, manet tamen nobis ad agonem. Corpus vero in futuro incorruptionem recipiet.

Restat ut, cum Deus re vera sit justus, inquiratur quomodo videatur injustus qui animas quæ forsitan alia corpora incorrupta erant fortiter recturæ et per hoc non pœnas, sed præmia, divina juvante gratia, erant promerituræ, deputet corruptis corporibus. Quod quidam ita solvere nituntur. Dicunt enim quod Deus ab initio ita instituerat ut novas animas noviter formatis et generatis corporibus infunderet. Quod si ipsa corpora in peccato Dei corrupta sunt, nihil ad eum pertinet. Faciat ergo homo quod vult, Deus faciet quod debet.

Sed hoc solo non perfecte videntur Deum ab injustitia solvere. Non enim, ut nobis videtur, Deus qui omnia novit, debuit instituere se id esse facturum quod sciebat certissime et quasi ex necessitate, omnium animarum periculum facturum. Quare huic solutioni fortasse aliquid est addendum ut absolutius videamus Deum ab omni reatu esse liberum. Quærendum est enim, quando ipsa anima incorporatur, utrum necessitate veniat ad corpus an voluntate. Sed necessitate non, cum dicat Augustinus « nulla Dei culpa, etc... ». Quia si ex voluntate, ut idem Augustinus affirmat in eodem versu, aut ita qui scit se non posse vitare

peccatum, aut nescit per divinam gratiam? Sed nescit posse. Si autem scit non posse, stulta est quæ vult venire.

Oportet igitur ut sciat se posse vitare peccatum, sed per divinam gratiam, et potest fortasse. Sed ex dulcedine carnis sibi adjunctæ, quod poterat non vult et ita, creatore justo remanente, ipsa efficitur peccatrix. Tantum enim in ipso delectatur corpore ut etiam sui videatur oblita nisi per doctrinam postea excitetur.

Sed dicet quis cur quidem instituta sint sacramenta si anima peccato resistere potest? Ad quod dicatur quia non resistit. Hoc autem solummodo ita dicatur ut non firmetur. Ubi enim scire dubitaverint et nos debemus dubitare.

3. — *De pœna peccati originalis*[1].

Quæritur quare homo puniatur secundum animam propter peccatum primi hominis cum animam ex eo non habuerit. Ad quod dicitur quod Deus creavit corpus primi hominis et ei animam infudit. Ex quo corpore corrupta omnia successorum corpora corruptionem traxerunt. Quæ etsi corrupta sint, tamen Deus quod suum est facere non cessat, scilicet ipsis corporibus, solita bonitate, infundit animas.

(1) Fol. 120, verso 1.

Punitur itaque anima, conjunctione corrupti corporis depravata, quamvis per se bona bonaque manu sit infusa, quemadmodum semen bonum, a bona manu terræ infusum, corruptione terræ redditur corruptum.

4. — *De culpa originali*[1].

Quod objicitur de anima mox a Deo creata bona et pura, non ex arbitrio suo, vasi corrupto infusa, quod injuste ex corruptione vasis fiat rea, nihil est. Deus enim ab ordine creationis suæ si desisteret, injuste ageret ut si animas bonas et puras vasis quibuscumque, secundum institutum creationis suæ non infunderet. Quod si vasa culpa Adæ sunt corrupta, ex unione anima, licet quidem non per suum, sed per alienum peccatum fiat rea, culpa quidem primæ transgressionis est. Deus enim quod suum est facit. Videat autem qualia vasa fecerit homo omnis generans. Cum enim in omni generatione particula separetur quædam et per culpam, est originale malum ibi.

Si autem separetur et non per culpam, quod in solo Christo, non est ibi originalis contagio. Sicut enim in parentibus licet renatis, si generant, quia per culpam separatur illa particula, licet in toto

(1) Fol. 120, verso 1 et 2.

mundata, tamen inde fit rea originalis ; sic, ex opposito, in generatione Christi.

Quod autem dicitur omne peccatum animæ nasci ex carne et fomite peccati qui in carne est, nihil est. Ex anima enim quædam per se oriuntur quod improbare potest quia prius peccavit Adæ anima quam caro, cum etiam nullus fomes peccati in ea esset. Quidam etiam angelus peccavit qui tamen spiritus est.

Quod item quæritur, quare non potius anima, bona et perfecta a Deo, trahit suum inferius cui incorporatur in puritatem et in innocentiam suam quam ab eo ex conjunctione inquinetur, ut dicitur, facillime sic solvitur : quia nulla creatura, utcumque bona, bonum potest aut ex se sibi habere, aut aliis dare, quia hoc solius Dei est, et si hoc posset jam divinæ virtutis esset. Malum vero potest : unde et a carne corrumpi potest. In quo ipso etiam eadem anima humiliari discit dum se nil posse invenit. Adam vero ad hoc creatus fuit ut generaret. Qui, si non peccasset, tot generasset quot erunt justi in resurrectione.

5. — *De confirmatione* [1].

Quæritur quid opus sit confirmatione post bap-

(1) Fol. 121, recto 1 et 2.

tismum. Responsio : in baptismo tantum datur remissio peccatorum. Postea oportet baptizatum alio dono Spiritus confirmari ad bonum operandum, quasi ad pugnandum. Verbi gratia, filii Israël, cum transissent mare rubrum, quia per desertum transituri erant, auxilio Dei postea indiguerunt.

Si vero aliquis post baptismum tam cito moritur quod non habeat licentiam confirmandi, per solum baptismi sacramentum salvatur. Si vero tempus habuit, sine confirmatione non plus quam sine confessione non potest salvari. In qua quia majus donum sumitur quam in baptismo, non a quolibet sacerdote, sed tantum ab episcopo eam sancta Ecclesia fieri constituit.

6. — *De Eucharistia*[1].

Sicut in baptismo datur Spiritus ad remissionem peccatorum, in confirmatione vero ad pugnam, id est, ad resistendum diabolo, ita dominicum corpus necessario recipitur in vitam æternam. Unde ratio videtur exigere ut pueris renatis ex aqua et Spiritu dominicum corpus detur. At quia, propter infirmitatem suam, pane illo solido uti non possunt, eadem die, si cogit necessitas, post baptismum, de calice vinum consecratum accipiant. Quod si differri

(1) Fol. 121, recto 2.

potest in sequenti dominica aut proxima aliqua festivitate, ad altare deferantur et dominici corporis sicut prædictum est, fiant participes. Quo semel accepto, potest postea differri alia acceptio usque in longum tempus. Si autem sine communione corporis et sanguinis Christi pueri a vita exeant, incuria est et periculum pastorum. Pius tamen pastor ovem suam immunitam non deserit.

7.— *De his qui naturaliter fatui sunt*[1].

Naturaliter fatui solo baptismi sacramento salvantur, velut parvuli, etsi in ignem aut in aquam se præcipitaverint aut aliquo modo se occiderint, non tamen eis imputatur sicut nec parvulis. Ab his solis virtus Dei exigitur qui aut scierint, aut pro culpa sua nescierint. Pro culpa nescit qui, cum per doctrinam potuit scire, non didicit. Si qui vero aliquando sapuerunt sed pro aliqua occasione desierunt, eos naturaliter inter stultos non computamus. Cur enim ita magis contigit Deus novit. Nos autem hoc tantum scimus quia juste factum est.

8. *De causa inter Deum, hominem, diabolum orta*[2].

Deus fecit hominem justum et bonum hac conditione tamen si frangeret obedientiam quod morere-

(1) Fol. 121, recto 2.
(2) Fol. 124, verso 1, fol. 125, recto 1 et 2, verso 1.

tur morte. Dixit enim : « In quocumque die comederis morte morieris. »

Mortem dicit non quod dissolvatur anima a corpore statim, sed mortem accepit effectum peccati. Nota etiam quia Adam, antequam peccaret, libertatem habuit faciendi bonum et malum. Esset etiam Adam, sin peccaret, immortalis conditionaliter, quod factus fuit ita scilicet qui, si obediens esset, perduceretur in illam beatitudinem ad quam venturi sunt sancti et nunquam moreretur. Si vero peccaret, et moreretur, et diabolus in eum imperium haberet. Diabolus vero invidens bonæ creaturæ Dei, invasit Adam. Quid vero dixerit Adæ et promiserit, satis patet. Adam vero consensit et nota quomodo consensit, propria quidem voluntate et diabolo nullam sibi vim inferente. Et quia voluntate peccavit, subjectus est imperio diaboli et ita seipsum et posteros corrupit et ita juste mancipatus est servitio diaboli. Nota etiam quia diabolus Adam injuste invasit sicut scilicet creaturam Dei. Ad quid vero hæc omnia tendunt videamus.

Nisi enim homo esset qui diabolum vinceret non juste sed violenter ei homo tolleretur. Sed si homo eum vicerit, jure homines perdit. Ut autem vincat necesse est ut Deus in homine sit qui eum sine peccato faciat esse. Si enim homo purus aut angelus in homine, facile peccaret cum utramque naturam

constat per se occidisse. Si enim cum homo in perfectione esset a diabolo tentatus occidit, multo minus cum sit imperfectus resisteret. Si enim angelus incarnaretur, non esset aptus tentationi cum etiam per se cecidisset. Voluit igitur Dominus incarnari et esse passibilis et mortalis, voluntate quidem, quia si non esset passibilis, non esset pugna contra diabolum. Ex necessitate igitur Deus homo factus est ad redimendum hominem. Non tamen non negamus quin aliomodo posset et Deus redimere secundum potentiam, sed *salva justitia* dicimus aliter non posse fieri. Quomodo ergo *salva justitia sit* videamus.

Scimus enim quia homo voluntate peccavit et ideo diabolus in eum imperium habuit. Scimus etiam, quia Deus justus est, diabolo igitur violenter non auferret quod suum est (diaboli). — Cui dicimus : nonne diabolus quod suum non erat injuste invasit? — Sic equidem. Sed Deus juste quod suum erat inquirit ac redimit. — Dicet tamen qui huic sententiæ volet contraire : Hoc satis concedo quod quantum ad Deum sit justitia et quantum ad diabolum sit justitia. Sed ostende mihi quantum quomodo ad hominem qui voluntate peccavit et ita totus corruptus est, quomodo scilicet quantum ad illam corruptam massam, justum sit quod assumpsit carnem de illa corrupta massa et eam per Spi-

ritum Sanctum mundavit et reparavit. Quantum enim ad corruptam illam massam quæ corrupta tota erat, non videtur mihi justum ; quantum vero ad Deum qui quod suum est requirit, videtur et est quidem justum. Quantum vero ad corruptam massam, videtur violentia quia unde habeat illa massa, quæ tota corrupta est, quod debeat redimi non video.

Quidam autem de hac sententia dicere volunt : quod Deus nunquam humanam naturam ex toto permisit diabolo subjugari. Quod bene patuit in Job et in quibusdam aliis quos nunquam diabolus sibi ex toto subjugavit, quamvis ei inferre multa mala licuerit. Immo etiam illi quidam dicunt quia ita Deus humanam naturam diabolo subjugari permisit quod tamen particulam mundam et incorruptam quamdam retinuit quam et assumpsit. In quam quia diabolus insurrexerit, illud amisit quod suum erat quia invasit quod suum non erat.

Illa particula humanitatis, cui unitum est verbum Dei, injuste videretur esse mundata a peccato originali. Omnis enim humana natura, in Adam damnata, potestati diaboli jure subjecta videbatur ideo quia homo rationalis subjectioni diaboli sponte consenserat et consentiendo se ei tradiderat.

Diligenter autem intuentibus videtur quod nulla facta sit injuria. Humanæ equidem naturæ non

facta injuria est, immo summa misericordia. Ipsi etiam diabolo non injuste facta est ereptio, quia creaturam Dei sui dolo invaserat et per deceptionem possederat, quam creator Deus ut suam jure repetiit et misericorditer liberavit.

Ipse etiam homo, si posset, juste seipsum diabolo eriperet, quia per dolum seductus fuerat, et quod ei diabolus promiserat, scilicet quod esset sicuti Deus, consequenter per eum promittere minime erat.

9. — *De angelo magni consilii* [1].

Deus Dei filius, angelus magni consilii, homo factus, sine concupiscentia conceptus et natus, sine omni peccato vivens ut diabolus, qui jure fideles etiam Dei se possidere gloriabatur, per hoc suam potestatem amitteret quod super hominem omnis peccati expertem jus proprium exercere usurparet. Aliter enim facere illi injuriam Deus videretur, nisi prius illum aliquid tale faceret committere propter quod jure tanta deberet potestate carere.

Sed opponitur quod, antequam diabolus super illum manum mitteret, videtur Deus potestatem suam illi abstulisse ubi de sanctificata massa, virginis carnem suscepit mundissimam.

(1) Fol. 125, verso 2, fol. 126, recto 1 et 2. Hic titulus legitur in manuscripto.

Si enim omnis humana caro immunda erat, et per hoc diabolo subjecta, in hoc contra jus diaboli injuriose videtur fecisse quod eam mundavit, quia per hoc, super ipsum Christum, jus suum amittebat. Et si quis originem causæ inter Deum et diabolum aut inter Deum et hominem aut inter hominem et diabolum considerare voluerit, inveniet Deum justissimum, diabolum vero injustissimum. Cum enim peccasset homo, subdidit se potestati illius cui consensit ex libero arbitrio. Dicat ergo homo Deo : « Eripe me de potestate diaboli. » — Sed poterit Deus respondere : « Tu subdidisti te contra obedientiam meam. Si potes, per te exsurge. » — Dicat homo diabolo : « Noli me possidere aut imple mihi promissa quæ implere non potes, scilicet : *eritis sicut dii.* » — Contra respondere potest diabolus : « Promissa tibi implere non debeo, quia nec tu debuisses ea affectare, nec deberes exigere, ut videlicet par sis creatori tuo ; sed quia sine vi, sed sola magis tua voluntate, mihi obedisti, quam Deo tuo, te jure possideo et possidebo quacumque conditione ad me perveneris. » — Dicat ergo Deus diabolo : « Redde mihi servum meum quia si a me fallaciis tuis aberravit, mihi tamen qui Dominus Deus tuus sum et illius, reddendus est. » — Non habet diabolus quod respondeat nisi istud : « Verum est me et ipsum esse tuos et si volueris potes eum

habere, sed ipse meruit teneri. Quare contra illum, non contra te, aliquid defensionis habeo. »

Hac dijudicatione videri potest quod si Deus suam creaturam reciperet, non faceret injuriam.

Sed quia aliquo modo diabolus servitutem, in quam homo se sponte projecerat, reclamaret, voluit Deus ut suo commisso diabolus eam amitteret. Carnem igitur mundissimam de virgine sanctificatam sumpsit ut suam rem. In hoc enim contra diabolum nullam subiit injuriam quia illa, quam accipiebat sine peccato, nullam diabolo servitutem debebat. Unde quia super hominem talem posuit manum, jure illos quos quondam jure videbatur tenere injustus amisit.

10. — *De corpore et sanguine Domini*[1].

Credendum est sub specie panis esse verum corpus Christi, similiter sub specie vini et qui alteram tantum accipit, totum corpus Christi accipit et qui utramque, similiter totum. Ut pueris solet tantum vinum dari, rusticis propter frequentiam populi panis; divisim tamen dari consuetum est, in illa commemoratione quod [cum] corpus in

(1) Fol. 127, recto 2, verso 1. Hic titulus in codice scriptus est.

cruce penderet, sanguis exivit, et etiam propter diversas potentias : panis enim cor hominis confirmat et vinum inebriat. Credendum est itaque quod species illæ franguntur, dentibus teruntur, res enim sacramenti, scilicet dominicum corpus integrum remanet.

Sed solet quæri quale dedit Dominus suum corpus discipulis in cœna sive mortale, sive immortale. Sed pro certo debet credi quod cum ibi esset initium Novi Testamenti, tale eum dedisse quale hodie accipitur in Ecclesia, scilicet immortale, tale scilicet quale erat per naturam. Naturam autem accipio in hoc quod humana natura divinitati unita immortalis et impassibilis erat. Et cum talis per naturam esset, etsi postea, ex sola voluntate, passibilis et mortalis fuit, bene tamen potuit ipse suum corpus discipulis tradere quale per naturam erat.

Hic sanguis est confirmator Novi Testamenti. Cum enim in Testamento habeantur promissiones, nullus ad illas posset pervenire nisi per illam hostiam. Item præcepta quæ sunt in illo Testamento nullus posset implere, nullus posset amare nisi, eo a morte resurgente et ad cœlum ascendente, daretur hominibus Spiritus Sanctus qui faceret illa præcepta possibilia ut implerentur et ab hominibus amarentur.

11. — *De justitia Dei*[1].

Justitia Dei alia patiens, alia exigens. Multa igitur facit Deus exigente justitia ut quando aliquem justum remunerat, quædam vero patiente justitia ut quando ante meritum peccata condonat et justificat, ut Jeremiam antequam de vulva, id est de matre exiret, sanctificavit et Johannem similiter, quod quidem non exigebat justitia, sed bene patiebatur secundum quod legitur : « Universæ viæ Domini misericordia et veritas », id est patiens et exigens justitia.

12. — *De tentatione*[2].

Notandum quod tentatio est opus Dei et opus ipsius diaboli, sed diversæ sunt intentiones. Dominus enim videns hominem superbire, tentat ut probet eum, non quod ipse Dominus indigeat, sed ut ipse homo superbiens se cognoscat. Diabolus vero tentat ut noceat. Nec debet aliquis petere quod non tentetur; tentatio enim conservat humilitatem. Sed petendum est ne inducatur in tentationem.

(1) Fol. 132, recto 1. Hunc titulum in codice scriptum invenimus.
(2) Fol. 132, verso 1. Hic titulus legitur in mss. cod.

Nec credendum est quod Dominus inducat in tentationem; sed quia pro peccato hominis eum derelinquit, et tunc diabolus facile inducit in tentationem. Videtur enim Dominus inducere et ideo homo, liberatus a malo, debet eum orare ne se derelinquat, ne derelictum diabolus in tentationem inducat.

Cum autem homo sit liberatus a malo et confirmatus contra tentationem, quia adhuc ipsa peccata recurrunt, ut aqua in navi, et quia memor est præteritorum et humanæ miseriæ, debet ille petere veniam de præteritis aut de renascentibus, quod fit per spiritum scientiæ qui spiritus scientiæ confert luctum. Sciens enim homo quid sit, quid fuerit, luget de humana miseria. Ecce homo liberatus a malo, confirmatus contra tentationem, habens veniam de præteritis et de renascentibus, bene est munitus contra adversa hujus mundi. Sed modo ita munitus vult ascendere ad illa superiora quæ tantum in superioribus creaturis, ut in angelis, vere et proprie sunt, ut ad veram misericordiam et ad cordis munditiam et ad veram pacem scilicet in qua filii Dei sunt.

Sed quia per se ad illam non potest ascendere, debet petere viaticum per quod ducatur ad illa superiora.

13. — *De his modis quibus homo tentatur*[1].

Tribus modis tentatur homo, per suggestionem scilicet ab inimico, aut invisibili, id est diabolo, aut propria carne.

Quando autem vel qualiter a diabolo vel propria carne fiat suggestio non est facile cognoscere. Habet etenim diabolus suos suggerendi modos ita nobis incognitos et nostræ infirmitati affines ut eadem videatur suggestio quæ est a diabolo et quæ ex carne, non tamen eadem. Quomodo autem non sit discernere non valemus. Contingit autem ipsum in forma visibili diabolum alicui inferre suggestionem, ut ipsi Christo per cibum in deserto, aut per aliquam creaturam ut Evæ, in Paradiso, per serpentem.

Suggestio autem quando fit aut a diabolo, aut ab homine, ipsis suggerentibus semper peccatum est, non autem semper cui suggeritur. Aut cum fit ab ipsa carne, si non adsit consensus, non est peccatum evitabile, sed pœna peccati sicut et alii defectus nostri. Talis enim suggestio nihil aliud est quam quidam motus carnis reducens in mentem aliquid malum sine delectatione.

Quæritur igitur quando aut quomodo aliquis cui

(1) Fol. 132, verso 1 et 2, fol. 133, recto 1.

fit suggestio dicatur peccare suggestione sola, id est nulla delectatione aut consensu comitante. Videtur non peccare per suggestionem ; sed per delectationem aut consensum et ita non esse peccata animæ scilicet suggestionem, delectationem, consensum, sed sola illa duo delectationem, consensum. Ad quod dicendum est quod, a quocumque fiat suggestio, tunc ille, cui malum suggeritur, dicitur peccare per suggestionem quando apud se dubitat de illo malo, utrum ipsum faciat an non et deliberat apud se, nondum delectatus aut consentiens. Sic enim peccat contra suum creatorem qui aut dubitare aut deliberare audet utrum ipsum illud faciendo offenderet an non. Quem enim nulla ratione debet offendere, nec ad hoc aspernandus est ut quis aut dubitet, aut deliberare incipiat eum offendere.

Peccatum vero delectationis duodus modis consideratur. Alia namque est evitabilis, alia inevitabilis. Evitabilis est illa quæ, ex propria voluntate alicujus, ei advenit et posset quidem evitari et hoc est grande peccatum. Inevitabilis vero delectatio est motus quidem animi inviti legi carnis subjectus. Hæc autem delectatio peccatum est sed veniale et esset quidem mortiferum nisi haberet præcedens baptisma remedium.

Hanc autem infirmitatem, sive necessitatem,

sive, ut quidam volunt, propassionem, nobis ad agonem Deus reliquit; quæ ad humilitatem conservandam, si volumus, multum est nobis utilis.

Si enim securi essemus, bono nostro fortasse superbiremus et ita deteriores efficeremur. Hæc autem infirmitas, ut dictum est, venialis est et præcedentem baptismum remedium habet, sicut et libido, quam nec conjuges in coitu possunt refrenare, remedium habet sacramentum nuptiarum. De hac tamen infirmitate dolere debemus quod in hanc necessitatem, ex culpa primi parentis dejecti sumus. Nisi hoc doleremus, Deum apertissime contemneremus et juste a Deo damnaremur.

Consensus iterum duobus modis accipitur. Alius enim est qui comitatur delectationem, alius actum ipsum. Sed videtur idem esse consensus qui comitatur delectatationem solam sine actu ipso et ipsa delectatio evitabilis, scilicet non tamen idem est, sed comitans sicut et ille qui actum comitans non est ipse actus. Nam consensus ille est quando aliquis favet illi evitabili delectationi et producit eam ut magis delectetur.

14. — *De caritate* [1].

Dilectio habet duos ramos, dilectionem Dei et

(1) Fol. 134, verso 1 et 2. Titulus hic legitur in manuscripto.

proximi. Dilectio Dei major aut prior natura est et dignitate. Dilectio proximi prior est tempore. Quod hoc modo ostenditur. Deus est summum bonum et per se non per aliud. Cetera bona sunt ex summo bono. Deus ergo diligendus est quia per se bonus. Cetera autem diligenda sunt, quia ex summo bono sunt, non propter se, quia non sunt per se bona. Cum igitur creaturæ bonæ sint, per illud summum bonum diligendæ sunt in quantum ex ipso sunt.

Sed rationalis creatura, quæ adhæret Deo et Deo servit et eum diligit, duplici modo diligenda est, tum quia ex Deo, in quantum creatura est, tum quia sponte Deo adhæret et servit.

Proximus itaque, qui bonus est adhærendo Deo, dupliciter diligendus est, tum quia creatura Dei, tum quia bonus est. Malus autem proximus tantum diligendus est quia creatura Dei est.

Pasce ergo illum sustentando substantiam Dei quam fecit. Sed peccatum quod neque bonum est per se, neque ex bono Deo, debes odisse.

Itaque diligendus est in quantum ex bono est et quantum creatura Dei est.

Videtur autem esse contrarius Jesus filius Syrac[1] in hoc quod dicit : « Impio nihil dederis ». Sed hoc præcipitur ne aliquis foveat eum ad iniquitatem

(1) Hic est auctor Ecclesiastici.

suam exercendam. Prohibetur igitur ne nutriatur impius, sed non prohibetur ut homo pascatur. Bonum faciamus ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

Ceteræ autem creaturæ diligendæ sunt quæ non rationales sunt, quia tantum sunt bonæ quia factæ sunt a bono, sed non sunt adeo similes summo bono sicut utentes ratione.

At cum quædam animalia data sunt ad pœnam ut lupus, leo, quia nocent proximo, propter amorem proximi cui plus debemus, a nobis persequenda sunt; et non tamen in hoc erimus contrarii dispositioni Dei quia omnes sic nos per illa affligit ut nobis parcendo concedat et interficere illa :

Ecce habemus quod naturaliter amor proximi descendat ex Dei amore : quia proximum propter Deum ex quo est diligimus. Deum autem diligere plus, quia per se bonus est, debemus. Sed temporaliter, per dilectionem proximi, venitur ad dilectionem Dei. Non enim cognoscitur Deus nisi per creaturas. Ergo illa bona quæ videntur plus diliguntur et per ea creator eorum diligitur. Sed illa dilectio Dei perfecta non erit donec videamus eum facie ad faciem ; tantum in præsenti, dum illum per enigma et fidem videmus, super omnia diligimus.

13. — *De mendacio*[1].

Quæri solet cum nulla occasione mentiendum sit an peccatum sit aliquo ambiguo verbo decipere quem videmus paratum male facere, ut si videmus aliquem iratum prosequi quempiam quem videmus se abscondere. Scimus enim quia, si quæsierit a nobis an vidimus eum, non est illi mentiendum et si per hoc possumus vitam illius servare, sed tacere possumus sine peccato. Sciendum est tamen quia si dixeris te vidisse eum divertentem aliquoversum, quorsum tamen tunc non diverterit, sed alio tempore vidisti, etsi scias quærentem sic intelligere quod modo diverterit, non peccas. Nam ille dignus est quod verum non intelligat sed decipiatur : tu tamen fideliter locutus es. Nam et Christus ita sæpe locutus est, ut cum dixerit « vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam et cœtera » et tamen post ascendit. Digni erant qui quærebant ut non intelligerent. Ipsi enim intelligebant quod cum eis non ascenderet et tamen scivit, cum diceret, eos aliter intellecturos.

Ille mentiri dicitur qui aliter credit quam loquitur. Duo autem sunt genera mendacii in quibus non videtur esse gravis culpa scilicet ut cum joca-

(1) Fol. 135, verso 1 et 2.

mur, aut cum proximo prodesse molimur. Sed ut prætereamus mendacium joci in quo patet culpa et peccatum, cum simplex enim jocus in verbis sit verbum otiosum, (de omni autem verbo otioso sumus reddituri rationem); de illo mendacio agamus in quo videtur esse utilitas proximi aut nostra : iterum est magnum peccatum. Si enim mentiendo, a morte corporis fratrem servo, mortem animæ mihi infero ; pro periculo enim totius mundi, quantum ad me, mentiri non deberem.

Ut autem verum esse illud pateat, videamus quid Sanctus Spiritus, in Moralibus [1], dicat de obstetricibus quæ in Ægypto mentiebantur pro masculis qui ex filiis Israel nascebantur.

Pro hac, inquit, pietate æternum merebantur præmium. Sed quia mentitæ sunt, illud amittere promeruerunt. Quia vero nullum bonum est irremuneratum, pro bono pietatis officio, temporale commodum habuerunt, scilicet domos in Ægypto.

Multotiens tamen quia hujusmodi mendacium pietas comitatur, cujus veniam impetrat qui sic mentitur, inveniuntur Sancti aliquando mendacium protulisse, ut Jacob patri suo, ut Joseph fratribus suis in Ægypto, aut aliquid fecisse quod peccatum videtur ut filii Israel qui furati sunt Ægyptiis vasa

(1) Gregorius, in *Moralibus*, disseruit de obstetricibus quas lib. Exod. inducit. — *Exod.*, I, 19-21.

aurea et argentea. Sed sciendum quod non est peccatum quod non est contra divinum præceptum. Dicunt autem aut faciunt Sancti quod contra præceptum esse videtur; sed tamen non est, quia ex ipsius speciali gratia Dei aut præcepto dicunt aut faciunt, quare peccatum non est. Speciale autem dicimus quod uni personæ aut pluribus, non tamen omnibus dicitur.

16. — *De comestione*[1].

Comestio alia fit usque ad metam necessitatis, alia ultra. Illa vero quæ fit usque ad metam necessitatis, si causa Dei fit, ad hoc scilicet ut caro sustentetur ad serviendum Deo ita ut delectatio, quæ quasi necessario comitatur, pedisequa sit, non domina aut magistra, non est peccatum.

Nam si propter delectationem fieret, peccatum esset.

Illa vero quæ ultra metam necessitatis extenditur, si ignoretur quod fit ultra necessitatem (illud enim multotiens ignoratur), similiter peccatum non est. Si vero ex deliberatione fiat, peccatum est.

Eodem modo de potu et dormitione et de omnibus talibus quibus indiget necessitas humanæ vitæ;

(1) Fol. 136, verso 1 et 2. Hic titulus legitur in manuscripto.

in quibus omnibus delectatio quæ tantum est pedisequa, venialis est ex caritate qua diligimus nos propter Deum.

In illis vero in quibus est non vitæ humanæ necessitas, ut in coitu (nam cum constans sit quod omnis coitus qui non est in conjugio peccatum sit), si non exerceatur aut causa prolis, aut causa vitandæ fornicationis, sed solum causa explendæ libidinis, fornicatio est, ut dicit Apostolus.

17. — *De pueris qui a parentibus offeruntur*[1].

Quæritur de pueris qui a parentibus offeruntur, antequam venerint ad maturam ætatem, an liceat eis exire si noluerint remanere. Communiter de his dicimus sive masculi sint, sive feminæ : bonum est si proteletur benedictio eorum usque ad adultam ætatem ut tunc, ex deliberatione sua, consecrentur.

Quod si noluerint benedici, masculus conservetur ne aufugere possit donec benedicatur ad se rediens. Femina vero, quia infirmioris sexus est, nisi ipsa velit, nunquam consecretur. Quod si ante tempus consecrata fuerit, si aut fugiens nupserit, nuptiæ ratæ erunt. Masculus autem ante tempus etiam benedictus exire non poterit quia robustioris

(1) Fol. 136, verso 2, fol. 137, recto 1.

sexus est. Et si exierit, cogendus est reverti. Et si nupserit, irritum debet esse. In his tamen omnibus dispensatio utilis est, sicut in omnibus rebus.

18. — *De his qui transeunt ex alia Ecclesia in aliam*[1].

Item dubitari solet, postquam aliquis in ecclesia aliquam professionem facit, an liceat ei, absque licentia sui prælati et capituli, arctiorem vitam sumere et si ecclesia prior poposcerit, an poterit ibi remanere. Bonum est ut licentiam petat, quam si non potest impetrare, non frangit obedientiam : sic hac intentione discedat.

Nec illi caritatem habent qui eum sollicitant ut, ab arctiori vita, ad laxiorem descendat. Si tamen necessarius est priori ecclesiæ, ex dispensatione potest reverti, tamen ut ab arctiori proposito non recedat, sicut non recederet si episcopus fieret.

Et nota quod non magis licet canonico regulari parochiam tenere aut aliquam curam habere quam monacho. Utrumque enim, ex dispensatione episcopi, potest facere aut archidiaconem, aut presbyterum, ita tamen ut uterque maneat in suo ordine.

(1) Fol. 137, recto 1.— Cf. Lefèvre. *De Anselmo scholastico*, p. 91.

19. — *De naturali et de scripta lege* [2].

Non est credendum illis qui dicunt nullum juste posse vivere si legem naturaliter scriptam non observaret carnaliter. Sicut in tempore gratiæ, verum est nullum justificari nisi sub Evangelio et baptismate. Sed dicendum circumcisionem et ceteras observantias legales non ita esse generales sicut est Evangelium et baptisma. Deus enim carnem accepturus illi lineæ de qua nasci voluit legem scriptam donavit per quam sub cultu unius Dei teneretur.

Si vero eodem tempore aliquis, per solam legem naturalem, cultum veri Dei juste observaret, tam bene justus apud Deum judicatur quam si sub scripta lege teneretur. At in tempore gratiæ, Evangelium et baptisma adeo sunt generalia quam nemo absque eis potest justificari.

20. — *De festis Sanctorum Veteris Testamenti* [1].

Solet autem dubitari quare non fiunt festa hominum Veteris Testamenti quos constat sanctos esse, ut beati Abrahæ, Isaac et ceterorum.

Quorum hæc est ratio. Mors illorum non fuit natalitium quia omnes, ante Christum, descende-

(1) Fol. 137, recto 1.
(2) Fol. 137, verso 1 et 2.

bant ad infernum. Si ergo de his festa coleremus, non in diebus mortis eorum, sed in resurrectione Domini in qua recepti fuerunt, celebranda forent. Idcirco illa non consuevit facere latina Ecclesia. Græci tamen et ecclesias et festa in honore Patrum Veteris Testamenti faciunt. Nec observant tempora mortis eorum, scilicet quando et quotiens eis placet, prout quemque diligunt, festa eorum celebrant. Similiter et de Sanctis Novi Testamenti.

Latinæ vero Ecclesiæ aliquando, non tamen omnes, juxta institutionem beati Ambrosii qui ex maxima parte Græcos sequitur, aliquam de festis Sanctorum antiquorum assumpserunt, ut de septem fratribus qui prætendebant se cruore Christi redimi. Festivitas autem beati Johannis Baptistæ, quam in fine augusti celebramus, non de decollatione est, etsi scribebatur sic in calendario, cum decollatus sit circa Pascha, sicut Evangeliorum ratio exigit, sed de inventione capitis ejus.

Facit tamen Ecclesia memoriam decollationis ejus in eodem termino, in cantu et in lectionibus, sicut in aliis festivitatibus Sanctorum fieri solet.

21. — *De catechumenis*[1].

Quæritur de catechumenis, si moriantur ante-

(1) Fol. 138, recto 1. Hic titulus in codice scriptus est.

quam aqua baptismi inundentur, utrum sint salvi.

Responsio : Si necessitas aliqua impediat, salvi sunt et bene possunt dici baptizati. Sed si negligentia impedierit, non erunt salvi. Hoc autem in illis planius est qui magni catechizantur. Sed in parvis qui nihil sciunt non videtur ita esse, quia in illis nulla negligentia esse videtur.

Credendum est tamen culpam parentum illis obesse. Si vero aliquis opponat quod Scriptura dicit « quod filius non portabit iniquitatem patris », de his sciat hoc dictum esse qui post baptizati sunt.

22. — *De his qui ex demone nascuntur* [1].

Notandum est quosdam historiographos testari demones aliquando humanas figuras ex isto infimo aere sumpsisse, in quibus concumbentes cum mulieribus generaverunt filios qui, per sacri baptismi regenerationem, salvi fuerunt. Et satis est credibile quod, sicut aerium corpus sumpserunt, naturam et affectionem corporis impleant. Sicut de bonis angelis dicitur quod assumentes aeria corpora comederunt et multa alia quæ hominibus conveniunt, sed sine peccato fuerunt, ut de angelo Tobiæ legitur.

(1) Fol. 138, recto 1. Hic titulus legitur in manuscripto.

23. — *De illis qui morte præoccupantur*[1].

Corpora morte præoccupatorum, ut qui, subito occisi, corporis et sanguinis viaticum, Deum non acceperint, poni possunt in ecclesia et in cœmeterio tumulari, si ita aptentur ne sanguis aut sanies extrinsecus maculet ecclesiam. Quicumque enim in unitate Ecclesiæ est, si morte præoccupetur ut confiteri, aut viaticum sumere non possit, Ecclesia non renuit. Dei solius est judicare hoc, Ecclesiæ in meliorem partem vertere.

Si autem, aut hæreticus sit, aut aperte excommunicatus, ne recipiatur pro rigore, etsi nesciamus quem animum habuerit in morte. Orare autem pro omnibus possumus. Potest enim illud prodesse juxta compunctionem quam habuerunt vel in morte.

24. — *De conjugio inter adulteratos*[2].

Nota duo contraria. Dicit Leo papa quod, si aliquis adulteratus fuerit cum aliqua, non licet ei postea eam ducere, etiam mortuo viro.

Non potest enim esse matrimonium cum qua fuerit adulteratus. Augustinus vero dicit : potest.

(1) Fol. 138, recto 2. Hic titulus legitur in cod. mss.

(2) Fol. 140, verso 1 et 2.

Quod ita determinandum est. Duæ leges sunt : una benevolentiæ, altera naturæ. Leo papa locutus est quantum ad legem benevolentiæ, Augustinus quantum ad legem naturæ. Lex enim naturæ non prohibet quamlibet, etiam cognatam, ducere. Lex vero institutionis prohibet. Ideo statutum in Ecclesia catholica ut parentes non commisceantur, quia magna inter eos procedit caritas ex ipsa natura. Illi vero qui parentes non sunt conjunguntur ut caritas augmentetur.

25. — *De excommunicatis* [1].

Quod ille solus habendus sit excommunicatus qui judiciali ordine personaliter reus nominatur, Apostolus ad Corinthios : « Scripsi vobis in epistola ne commisceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi, aut avaris, aut rapacibus, aut idolis servientibus, aut maledicis. Alioquin debueratis de hoc mundo exisse. Nunc autem scripsi vobis non commisceri; si quis frater nominatur, aut est fornicator, aut immundus, aut avarus aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cum hujusmodi nec cibum sumere. »

Quibus verbis, ut ait Augustinus in libro Pœnitentiæ, ostendit non temere et quolibet modo, sed

(1) Fol. 142, verso 1. Hic titulus legitur in manuscripto.

per judicium auferendos esse malos a communione Ecclesiæ; aut per judicium si auferri non possunt, tolerentur potius ne perverse vitando malos, ab Ecclesia ipse discedat et eos quos fugere videtur ad gehennam præcedat.[1]

Ad hoc enim nobis in Scripturis sunt exempla proposita, velut in messe ut palea sufferatur usque ad ventilabrum, aut intra retia ut pisces mali cum bonis usque ad segregationem quæ futura est in littore, scilicet in fine sæculi, æquo animo tolerentur.

Non enim contrarium est huic loco id quod alibi dicit : « Tu quis es qui judicas alienum servum? Suo domino stat aut cadit. » Noluit enim hominem ab homine judicari ex arbitrio suspicionis aut etiam extra ordinariam usurpato judicio; sed potius ex lege Dei, secundum Ecclesiæ, ultro confessum, aut accusatum atque convictum. Alioquin cum illud dixit : « Si quis fornicator nominatur, aut idolis serviens, » nisi quia eam nominationem intelligi voluit quæ est in quemquam cum sententiam ordine judiciario atque ecclesiastica integritate proferunt. Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes quia sæpe falso nominatur.

26. — *De beatitudine*[1].

Non est credendum quod in resurrectione anima et corpus simul beatificentur ; beatitudo enim solius rei fruentis est, ut dicit Gregorius. Sola vero anima, quæ res rationalis est, beatitudine frui potest. Sic ipsa sola beatudinem habebit. Ex ipsa tamen beatitudine redundabit ineffabilis claritas sive incorruptio, sive glorificatio.

27. — *De nexibus corporis et animæ*[2].

Post dissolutionem corporis et animæ manent quidam nexus qui faciunt ea unam personam. Nexus dicimus quod anima Petri plus respicit et exspectat corpus Petri quam corpus Pauli; secundum quos nexus anima et corpus illius persona una dicuntur.

28. — *Utrum cibus vertatur in corpus*[3].

Quæritur utrum cibi vertantur in corpus, ad quod repugnare videtur quod Dominus dicit: « Omne

(1) Fol. 145, recto 2.
(2) Fol. 145, recto 2.
(3) Fol. 145, recto 2, verso 1.

quod in os intrat in ventrem vadit et in secessum emittitur. » Sed hæc verba Domini sic possunt accipi ut omnes cibi in ventrem abeant sed non toti. Et ita potest esse verum quod cibi vertantur in corpus.

Fiunt enim de cibis quatuor partes : una quarum abit in cerebrum quæ postea paulatim emittitur per salivam, altera abit in nigram choleram, tertia in rubeam, quarta in sanguinem. Fæces per urinam et digestionem emittuntur. Et verum est quod naturale corpus ex cibis nutritur et sustentatur. Sed quicquid inde recipit, aliis succedentibus, iterum per purgationes emittit. Et non creditur quod corpus exsurgere debeat cum illis incrementis quæ recipit ab eis, sed illud tantum quod naturaliter fuit in semine. Quarta scilicet pars parvam vel magnam habet staturam. Unde et illi qui parvi moriuntur, in ætate triginta annorum resurgent, in illo scilicet corpore quod fuit in natura primæ substantiæ.

Sic etiam solvitur de illo qui, ab infantia sua, humanis carnibus pastus est. Nam in resurrectione et ille naturale corpus suum habebit et alii quorum carnibus vescebatur, in suis corporibus qualia naturaliter fuerunt, resurgent.

Potest non irrationabiliter dici quia, sicut ignis alimentis alitur lignorum et illa tamen in natura

ignis non mutantur, sic corpus alimentis ciborum pasci et illa in corpus non converti.

29. — *De judicio*[1].

De judicio si sit faciendum materiali voce neque affirmatur, neque negatur. Sed hoc certum est quod filius hominis in eadem forma in qua judicatus est apparebit, in tali loco quod omnes gentes videbunt eum, non quod omnes ante eum localiter debeant venire, boni ad gloriam suam, mali ad damnationem. Et sciendum est quod non omnes venient ad judicium.

Qui enim ab Ecclesia jam judicati sunt illic non iterum judicabuntur. Fuerunt enim quidam ita boni in hac vita quod Ecclesia illos judicavit bonos et illi iterum non judicabuntur, sed cum Domino judicabunt, ut beatus Martinus et apostoli ipsi et multi alii. Et istos vocat Dominus amicos. Fuerunt autem quidam ita mali quod nequitia eorum non latuit Ecclesiam. Unde, et si Christiani fuerunt, excommunicati mortui sunt. De aliis satis patuit. Illi iterum, quia jam ab Ecclesia judicati sunt, non amplius judicabuntur.

Sed quia adhuc sunt quidam boni et quidam mali

(1) Fol. 145, verso 1 et 2. Hic titulus legitur in cod. mss.

quos adhuc Ecclesia non judicavit, sed apud Dominum jam judicati sunt, ut dicit Scriptura, « judicium jam factum », sed nondum apparuit hominibus. De illis fiet istud judicium, id est, Deus manifestabit qui eorum sunt boni et qui mali.

II

RADULFI SENTENTIÆ VEL QUÆSTIONES

30. — *Cur Deus homo*[1].

In epistola ad Hebræos ubi dicitur : *Decebat enim eum per quem omnia*, etc., videtur Apostolus probare intendere incarnationem, passionem et resurrectionem Verbi necessariam fuisse humanæ redemptioni. Quod hoc modo procedit. Homo, quia ex libertate arbitrii peccavit, juri diaboli se addixit; quia tamen instinctu alieno peccavit, in hoc, locum veniæ apud Deum habuit.

Cum ergo hic sub jure, cui spontanee se addixerat, esset, inde locum veniæ apud Deum haberet, non erat divinæ justitiæ eum violenter et injuste recipere a conditione illius a quo, per consensum, ultronee tenebatur et juste.

Nulla ergo justæ liberationis via esset nisi homo revinceret eum a quo victus fuerat.

(1) Fol. 123, verso 2. Hic titulus legitur in manuscripto. — Cf. Anselmi quæst. 8, de causa inter Deum, hominem, diabolum orta, supra, p. 13.

Homo per se non poterat quia sub jure illius erat. Et cui etiam in perfectiore statu succubuerat eum, in corruptione, multo minus expugnare poterat.

Angelus in homine non poterat, quia facile peccaret, cum naturam ejus cecidisse per peccatum constet. Etsi enim angelus jam, per casum apostatæ angeli pro quo altiori amore cohæsit et longa obedientia ita confirmatus sit ut peccare, quantum ad naturam sui non possit, tamen forsitan, ex conjunctione luteæ et corruptæ naturæ, hoc contraheret ut peccare posset et peccaret, cui posse peccare est ex natura, licet confirmatio provenerit ex gratia. Non est inventus ergo neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram qui librum aperiret et signacula solveret, nisi agnus.

Necesse ergo fuit ut Deus homo fieret, ut quia Deus peccare non potest, hominem sibi counitum ita confirmaret ut tentatione et peccato, nullo modo, vinci posset.

31. — *De incarnato Verbo* [1].

Quæri solet cur, per humanitatem incarnati Verbi, Deus pater humanum genus redimi voluit cum, per

(1) Fol. 124, verso 1 et 2.

aliquem prophetarum aut angelum, hoc posset fieri. Ad quod dicimus : si per purum hominem homo redimeretur, per corruptum corruptus liberaretur; sed corruptus corruptum redimere non potuit. Totum enim genus humanum, per peccatum primi parentis, erat corruptum. Juste ergo diabolus hominem possidebat qui, spontanea voluntate, se ei subdiderat.

Sed nec per angelum homo redimi potuit. Angelica enim in parte natura corrupta erat et si incarnaretur angelus, posset utique peccare cujus natura per peccatum superbiæ prius corrupta fuerat. Sed et si creatura creaturam redimeret, utique creaturæ creatura obnoxia esset et, quodam modo, dignitas hominis inferioraretur qui ad imaginem et similitudinem Dei factus est.

Fuit itaque divinum consilium ut Deus homo fieret et sine concupiscentia conciperetur qui per concupiscentiam conceptum hominem redimeret. Nam Sancti Spiritus obumbratione prorsus exstincta est concupiscentia carnis in Virgine. Nullum itaque peccatum habuit qui per concupiscentiam natus non fuit. Cui injuste diabolus mortem intulit in quo nullum jus suæ potestatis invenit.

Juste ergo suam in hominibus perdidit potestatem qui in Christo injuste exercuit tyrannidem suam ut cum diabolus eum, in quo nulla mortis

est causa et qui Deus erat, occideret, juste potestatem quam super peccatores habebat amitteret. Alioquin injustam violentiam Christus diabolo fecisset qui juste possidebat hominem quem non ipse violenter sibi attraxerat; sed idem homo ad illum se sponte contulerat.

Diabolus dicitur juste possidere hominem quia Deus juste hoc permittebat et homo juste patiebatur quod promeruerat. Non sua justitia homo pati juste dicitur, sed quia justo Dei judicio patitur.

Redemptio itaque humani generis merito per Christum humanatum facta est quia, juxta Psalmistam « pater Deus fiducialiter agit in eo ». Peccare enim non poterat qui etiam Deus erat, in quo perfecta salvatio et humani generis constat restauratio, cum sit etiam Deus Christus, potens liberare suos. Ecce quod nullus alius potuit liberare humanum genus nisi ille qui est Deus. In nullo enim alio fiducialiter ageretur, cum homo aut angelus purus peccare posset, si in carnem mutaretur.

Ideo autem sola persona filii incarnari voluit quia si persona Patris incarnaretur, jam quaternitas, non trinitas crederetur. Esset enim pater in trinitate, pater in divinitate, filius in humanitate et sic quasi duæ personæ, pater Deus et homo filius Virginis.

Idem inconveniens ostenderetur si Spiritus Sanctus incarnaretur; filius itaque Dei factus est Virginis filius, quod est « Verbum caro factum est », id est « Deus humanæ naturæ unitus est » ut Deus et homo unitus Christus credatur in unitate personæ, non in unius singularitate substantiæ. Humana enim natura, Verbo Dei in Christo unita, Deus et homo, est Christus in una persona, non commixtione passus naturarum neque divisione personarum. Sicut enim anima rationalis et caro unus est homo non duo, ita humana et divina natura in Christo una est persona.

INDEX

RADULFI SENTENTIÆ VEL QUÆSTIONES

MEDIOLANI AULERCORUM, EX TYPIS C. HÉRISSEY